

**1999-07-23 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Adilabadensis’**

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

**CONSTITUTIO APOSTOLICA**

***ADILABADEN\****

**IN INDIA NOVA EPARCHIA CONDITUR NOMINE ADILABADENSIS**

Ad aptius consulendum spirituali saluti atque regimini multorum Christifidelium commorantium in ampla Eparchia Chandaënsi, quae comprehendit regionem duarum Foederatarum Civitatum Indiae, quarum una lingua Marathi, altera Telugu utuntur, Nos, utpote beati Petri Successores de totius Dominici gregis bono solliciti, in Audientia Venerabili Fratri Nostro Achilli S.R.E. Cardinali Silvestrini, Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, hodie concessa, consentimus ut eadem ita dividatur ut ex ipsa nova constituatur Eparchia. Summa igitur Apostolica potestate sequentia decernimus: quodam detracto territorio ab Eparchia Chandaënsi, novam condimus Eparchiam *Adilabadensem*, cuius sedem eparchialem in oppido « Adilabad » poni iubemus, cunctis factis propriis iuribus atque obligationibus. Quam quidem Eparchiam Archidioecesi Metropolitanae Hyderabadensi suffraganeam facimus, mandantes ut ea complectatur territorium detractum e provincia « Adilabad ». Haec omnia reliquaque secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium temperentur. Insuper de eodem absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad Congregationem, quam diximus, mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus nihil obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo tertio mensis Iulii, anno Domini millesimo nonagesimo nono, Pontificatus Nostri vicesimo primo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*

ACHILLES card. SILVESTRINI  
Congr. pro Ecclesiis Orientalibus Praef.

Marcellus Rossetti, Protonot. Apost.  
Tharsicius Nardi, Protonot. Apost. s.n.

---

\*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 11, p. 1031